

forte eras antequam haberes, quam cum habere coepisti. Ecce quid tibi jussit avaritia : implesti domum, timentur latrones ; acquisisti aurum, perdidisti somnum. Ecce quid tibi jussit avaritia : Fac, et fecisti. Quid tibi jubet Deus ? Dilige me. Aurum diligis, quaesiturus es aurum, et forte non inventurus : quisquis me quaerit, cum illo sum. Amaturus es honorem, et forte non perventurus : quis me amavit, et non ad me pervenit ? Dicit tibi Deus : Patronum tibi vis facere, aut amicum potentem ; ambis per alium inferiorem. Me ama, dicit tibi Deus : non ad me ambitur per aliquem ; ipse amor praesentem me tibi facit. Quid dulcius dilectione ista, fratres ? Non sine causa modo audistis in Psalmo, fratres : « Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua, Domine. » Quae est lex Dei ? mandatum Dei. Quod est mandatum Dei ? novum illud mandatum, quod ideo novum dicitur, quia innovat : « Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. » Audi quia ipsa est lex Dei : Apostolus dicit : « Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Ipsa est consummatio omnium operum nostrorum, dilectio. Ibi est finis : propter hoc currimus ; ad ipsam currimus ; cum venerimus ad eam requiescemus.

5. Audistis in Psalmo : « Omnis consummationis vidi finem. » Dixit : « Omnis consummationis vidi finem » : quid viderat iste ? Putamus, ascenderat in verticem aliqujus altissimi montis et acutissimi, et perspexerat, et viderat ambitum terrae et circulos orbis universi ; et ideo

